



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Brvno Conf. 6. Octobris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

lapſa caelo in ſilvas lux & cervas inter crucem
cornu præferens cervus ſignavit. Eo igitur in loco
Deo & virginibus ſacris domicilium, ſibi tumu-
lum ſtruxit: cui cum mortuus inferendus eſſet,
ecce magnâ VIRGINE volente, tam diu vitæ reſti-
tutus eſt, dum res templi & cœnobii compone-
ret. Multò poſt apertus ſuâ ſponte tumulus cym-
balum oſtendit, quo divus in ſacris Miniſter vitæ
ſolitus erat. Hoc deinceps, quoties virgo ex alce-
terio moritura erat, ſonitu ſuo mortis inſidias de-
texit. Ipſe Divus bis viſus in ſomnis, bis è vitio-
rum veterno excitare clientem, qui à cubiculis illi
fuerat, laboravit. Sed ille in utramque aurem
dormivit. Ergo tertium adeſt, & multis objur-
gans, quodd mortis æternæ reus dormiret tam
altum, viſionis non vanæ argumenta vaticinatur.
Hic demum experrectus alter, & barbam ſibi
evulſam ſentiens, credere monenti, reſpiſcere, ad
templum MELNYLPHI properare: & cum illic tu-
dis antè, & nec primis literis inſcriptus, ſubito Latinæ
linguæ peritiâ accepiffet, aræ miniſtris vel idèd
ſe faciilius ſociare, quodd atronſus jam à ſomno
eſſet. *Ex Surio.*

*Cur non conſideras, quia mundus in fine eſt? om-
nia urgentur; quotidie ad reddendas rationes ater-
no & tremendo Iudici ducimur; quid ergo aliud
niſi de adventu illius cogitare debemus? qui ſive
volentes, ſive volentes, per momenta, quotidie
ad finem tendimus. S. Gregor. in Regiſt. l. 6.*

S. BRVNO CONF. 6. Octobris.

Quo tempore D. BRVNO Lutetiæ Pariſiorum
ingenium bonis artibus excoluit, vir è vitæ
exceſſit princeps inter literatos, quiq; virtutis
exiſſima

exilium longè maximam post se reliquit. Sed eheu ! quantam aberratis mali iudices hominum oculi ! Dum iusta persolvuntur , ad illam carentis vocem : *Responde mihi*, ecce tibi è capulo se defunctus tollit, & cum gemitu, *Iusto*, inquit, *Dei iudicio accusatus sum*; mox postredie, *Iusto*, exclamat, *Dei iudicio iudicatus sum*; demùm tertio die tertium è feretro fulmen auditur, *Iusto Dei iudicio condemnatus sum*. Enimverò plus quàm tragica hæc catastrophè omnes movit; at BRVNONEM eò perimovit, ut non modò umbram hanc hominis, sed ipsos etiam homines fugeret. Atque hinc illa sanctissimi viri & omnium, qui ducem hunc sequuntur, frequens in silvas fuga, hinc illud in omnibus lugubre silentium, ille pallidus in vultu color, ut interfuisse tristi spectaculo in BRVNONE omnes posteros credas. Sed benè morum candidissimorum cygni homines fugiunt cum Superis acturi: benè nunc tacent, cantaturi tunc, cum flebunt alii morituri. Iam ipsa *Dei mater* æternam illis tutelam adpromisit, si illi, quod diurnum VIRGINIS officium dicimus, quotidie persolvant. Pulchra profectò conditio, & quam meritò ambiant tam pulchrè candidati. Quid illud, quòd Numen fugam è mundo BRVNONIS sociorumq; sex, toridem S. Hugoni stellis significavit? Nempe, numerum stellarum augent, quotquot ad BRVNONIS partes accedunt. *Ex Surio.*

In omnibus rebus respice finem, & qualiter ante iudicium stabis. Iudicem; cui nihil est occultum, qui muneribus non placatur, nec excusationes recipit, sed quod iustum est iudicabit. Thom. de Kemp, lib. 1. de Imitat. Christi.